

inchoata; quæ ratione ejus, quod præcessit, hîc gesta dicuntur, & in quarum evidentio-rem probationem Arrha quoque datur. *pr. I. de empt. & vend. l. 17. C. de fid. instrum.*

CAPUT III.

De

Divisione.

XXX.

Veram Arrhæ divisionem in jure nostro invenio nullam; præterquam quod ratione subjecti, cui accedit, distinguatur in Arrham negotii perfecti, & inchoati sive perficiendi, vel contractæ, & contrahendæ emptionis. *pr. Inst. de Empt. & vend. l. contractus. 17. C. de fid. Instr. Bronchorst. 2. Antinom. assert. 54. & in Arrham sponsaliorum, quæ sponsalitia dicitur, & Arrham emptionis vel similibus negotiorum. l. 35. pr. ff. de Contrahend. Empt. l. 16. C. de Episcop. audient.*

XXXI.

Sunt quidem, qui Arrham duplici modo dari statuunt; primo ut sit argumentum & probatio emptionis; ut cum annulus vel similis species datur; secundo, ut sit pars pretii, & cedat in defalcationem pretii; *Besold. in delib. jur. lib. 18. quæst. 6. vers. solent porro & seq. Schneidew. ad pr. Instit. de Empt. & vend. num. 13. da man erlich Geld auff die Hand an der Haupt. Summen alsobald bezahlet vnd angiebet; quæ pecunia vocatur das Angeld. Speidel. in notabil. voc. Haffegelt. & citra-montanis pagamentum dicitur, teste Zas. lib. 2. Respons. sing. cap. 24. num. 5. Hunn. Excyclop. jur. p. 3. tit. 15. cap. 1. num. 38. Verum quod Arrha non sit pars pretii, sed tantum ejus probatio, præter l. 35. pr. ff. de contrah. empt. & quæ tradit Cujac. in comm. ff. ad d. l. 35. pr. etiam clare probat textus in l. 2. C. quand. lic. ab empt. reced. ubi Arrha data, & pars pretii soluta, tanquam diversa, per particulam adversativam, sibi invicem opponuntur, illisq; diversi effectus attribuuntur,*

C

hiscæ